Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31662
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

et ipse dilectio est. Non enim habet homo unde diligat deum, nisi ex deo. Propter quod dicit: Nos diligimus, quia ipse prior dilexit nos. Apostolus quoque Paulus: Dilectio inquit dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Nullum est isto dei dono excellentius. Solum est quod dividit inter filios regni eterni, et filios perditionis eterne. Dantur et alia per spiritum munera, sed sine caritate nichil prosunt. Nisi ergo tantum impertiatur cuique spiritus sanctus, ut eum dei et proximi faciat amatorem, a sinistra non transfertur ad dexteram. Nec spiritus proprie dicitur donum nisi propter dilectionem. Quam qui non habuerit si linguis hominum loquatur et angelorum, sonans eramentum est aut cymbalum tinniens. Et si habuerit prophetiam, et scierit omnia sacramenta, et omnem scientiam, et habuerit omnem fidem ita ut montes transferat, nichil est. Et si distribuerit omnem substantiam suam, et si tradiderit corpus suum ut ardeat, nichil ei prodest. Quantum ergo bonum est sine quo ad eternam vitam neminem bona tanta perducunt. Ipsa vero dilectio sive caritas, nam unius rei est nomen utrumque, si habeat eam qui non loquitur linguis, nec habet prophetiam, nec omnia scit sacramenta, omnemque scientiam, nec distribuit omnia sua pauperibus, vel non habendo quod distribuat, vel aliqua necessitate prohibitus, nec tradat corpus suum ut ardeat si talis passionis nulla temptatio est, perducit ad regnum, ita ut ipsam fidem non faciat utilem nisi caritas. Sine caritate quippe fides potest quidem esse, sed non prodesse. Propter quod et apostolus Paulus: In Christo inquit Ihesu neque circumcisio aliquid valet neque preputium, sed fides que per dilectionem operatur. Sic eam discernens ab ea fide qua et demones credunt et contremiscunt. Dilectio igitur que ex deo est et deus est, proprie spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris dei caritas, per quam nos tota inhabitet trinitas. Quocirca rectissime spiritus sanctus cum sit deus, vocatur etiam donum dei. Quod donum proprie, quid nisi caritas intelligenda est, que perducit ad deum, et sine qua quodlibet aliud dei donum non perducit ad deum. Et si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam.

In hoc inquit **Ex tractatu euangelii secundum Iohannem cap. lxv.** cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Tanquam diceret: Alia munera mea habent vobiscum etiam non mei, non solum naturam, vitam, sensum, rationem, et eam salutem que hominibus pecoribusque communis est, verum et linguas, sacramenta, prophetiam, scientiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperibus, et traditionem corporis sui ut ardeat. Sed quoniam caritatem non habent, ut cymbala concrepant, nichil sunt, nichil eis prodest. Non ergo in illis quamvis muneribus meis que habere possunt etiam non discipuli mei, sed in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. O sponsa Christi pulchra inter mulieres, o dealbata ascendens et incumbens super fratruelem tuum, quo eius lumine illustraris ut candeas, eius adiutorio fulciris ne cadas. O quam bene tibi cantatur in illo cantico canticorum velut epithalamio tuo, quia caritas in deliciis tuis. Ipsa numquam perdit cum impiis animam tuam. Ipsa discernit causam tuam. Et sicut mors valida est: et in deliciis tuis est. Quam mirandi generis mors est, cui parum fuit non esse in penis, nisi esset insuper in deliciis.

Ecce accipit **Ex tractatu epistole Iohannis. v.** sacramentum nativitatis homo baptizatus. Sacramentum habet, et magnum sacramentum, divinum, sanctum, ineffabile. Considera quale, ut novum hominem faciat dimissione omnium peccatorum. Attendat tamen in cor, si perfectum est ibi quod factum est in corpore: videat si habeat caritatem, et tunc dicat: natus sum ex deo. Si autem non habet, caracterem quidem habet, sed desertor. Habeat caritatem, aliter non se dicat natum ex deo. Sed habeo inquit sacramentum. Si sciam omnia sacramenta, et habeam omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nichil sum. impositum

Ex libro de unico baptismo.

Apostolus dicit: Et si sciero omnia sacramenta et omnem scientiam, et si habuero prophetiam et omnem fidem, ita ut montes transferam, cari-

68